

LIBERATI FASSONI

A S. JOANNE BAPTISTA

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

DE LEPORII LIBELLO

ATQUE EJUS SENTENTIA

Super coniunctione divinitatis cum corpore
triduo mortis Christi

DISSERTATIO APOLOGETICA

IN QUA ETIAM

ECCLESIAE EA DE RE DOCTRINA

ADVERSUS FIDDES ET STACKOUSE

Constituitur ac firmatur



ROMÆ MDCCCLXI.
Typis HIERONYMI MAINARDI.

Superiorum Permissu.

REVERENDISSIMO PATRI
F. CLEMENTI A PANORMO
TOTIUS FAMILIAE S. FRANCISCI
MINISTRO GENERALI
Viro Amplissimo Atque Ornatissimo

Auctor S. P. D.



*Er difficile dictu est , explicatique arduum ,
AMPLISSIME ATQUE ORNATISSIME VIR , quan-
topere conciliet animos hominum , in eosdemque
ut potenter , & suaviter influat cum omnis exi-
mia , liberalisque virtus , & viro principe di-
gna laus , tum clementia in primis , humani-
tas , comitas , affabilitasque sermonis . Nam
cum aliquid clementer , mansuete , leniter ,
moderate factum , in magna presertim prosperitate vite , &
fortuna , que plerumque incitamentum superbia esse solet , aut
audimus , aut legimus , tanto studio incendimur non modo in ge-
stis rebus , sed etiam in fictis , ut eos sepe , quorunquam vidi-
a 2 mut*

mus, diligamus. Quare L. Cornelius Consul, Q. Crispinus, M. Marcellus, Q. Metellus, Paulus Africanus minor, Pompeius, Cæsar, Antonius etiam, & Brutus, atque alii innumerales, quod præclaras, & inopinata dederint humanitatis exempla (singula Valerius Maximus litterarum monumentis mandavit'), aeternam sibi apud omnes posteros gloriam pepererunt, lenitasque illa animi, ac facilitas, quam præ se interdum tulere, florescit, ac pervagatur quotidie magis. Scripserunt epistolas & Philippus ad Alexandrum; & ad Castandum Antipater, & Antigonus ad Philippum filium, tres prudentissimi (sic enim a M. Tullio accepimus), quibus præcipiant, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam allificant, militesque blande appellando deliniant. Sic enim sibi penitus persuaserant, quamquam omnis virtus homines excitat, facitque, ut eos amemus, in quibus ipsa inesse videatur, primas taenias esse clementias tribuendas, cuius species omnes homines vehementissime permoveat, totosque ad se convertit, & rapit.

Hece autem cum sint, mirari nemini in mentem veniet, CLEMENS PRÆSES AMPLISSIME, si tam optimarum artium, atque virtutum commendatione domesticos omnes, & collegas tuos ita tibi obstrinxisti, ut benevolentia non solum, sed honore ab iis dignus judicatus in aetissimo dignitatis gradu cunctis suffragiis locareris. Cunctis omnium suffragiis ad imperandum deligi, admirabilitatem magnam facit, nihil tamen admirabilius fieri potest, quam deligi in eis Comitiis, ad quæ non frequens solum multitudine proterum confluat, sed homines cum virtute præstantes, tum moribus, nationeque dissimiles. Ac vehementer quidem collegarum erga te amor commotus fuit ipsa fama, & opinione pietatis, prudentiae, iustitiae, fidei, erulsionis, doctrinae, omniumque earum virtutum, quas in homine inesse oporteat, qui sanctissimæ designetur custos, gubernatorque Familia. Neque enim illi ignorabant, que Panormi in patria tua virtutum ejusmodi documenta edidisse. Noverant, te & Panormitanos Pontifici, & ei Magistratui, cuius est in impietatem inquirere, illi etiam, quem regiam Monarchiam appellare, religiosam mulierum operam, ac diligentem navasse. Noverant, in his, aliisque munib; & negotiis, qua privatis, qua publicis ita versatum te esse, ut cives, virique principes, quorum serviebas temporibus, nunquam tibi neque animum, neque consilium, ne-

q.e

que industriam ad magnas res bene gerendas defuisse intelligerent.
Noverant denique, partim etiam suis ipsis oculis usurparerant, qua
integritate, & fide gravissimas in vestro ordine administras provin-
cias, externis, domesticisque plaudentibus. Sed tamen sic exi-
stimo, prudentissimos viros eorum omnium virtutum specie suis-
se commotos, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facili-
tatem; itaque utilitatibus tuis in universa gubernanda Familia
carere diutius noluisse. In iis enim, quas commemoravi, virtu-
tibus quedam ineft propria illorum, qui imperant, dignitas, nibil-
que est, ut probe in Commodo animadvertis Lampridius¹, quod
Imperatores studiosi commendat populis, praeter humanitatem,
atque clementiam: ut eidem idcirco inter cetera nomina, quibus
bonoris causa appellabantur, clementissimi in primis, atque in-
dulgentissimi dicerentur. Hinc Plinii formula in secunda ad Tra-
janum epistola: rogo ergo, indulgentissime Imperator.

Ea vero in re collegarum de te judicia mirabiliter sustinet; aut potius opinionem viciisti omnium, qua de virtute tua erat. Vetus enim Philosophorum preceptum, cuius meminit in primo de Officiis Cicero², admonentium, ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus summissius, tam sancte, inviolateque conser-
vas, ut qui dignitate ceteris excellit, humanitate par insimil-
esse videare. Faciles enim ad te aditus privatorum, banigno, &
comis oratio, mixta gravitati modeſtia, propensa ad benefacien-
dam voluntas, aere studium, ac diligentia, totam ut Famili-
am sic tuaris, ut omnibus, quaz potes, casulas. Tener
quippe, pro viribusque custodis duo illa Platonis precepta,
unum, ut qui reipublica preſunt, utilitatem civium ita
seſtentur, ut quecumque agant, ad eam referant, obli-
etiam, si tempus, aut locus posſuleat, commodorum suorum.
Alterum, ut totum corpus reipublica current, ne, dum partem
aliquam tuerintur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic pro-
curatio reipublica ad utilitatem eorum, qui committi sunt
non ad eorum, quibus commissa est, geri debet. Qui au-
tem parti civium consulunt, partem negligunt, rem per-
nicioſissimam in civitatem induunt, seditionem, atque di-
ſordiam³.

Sunt ille igitur causae diligendi gravissime, nec benevolentia
solum, sed dignitatis conciliatrices, & glorie: quo ego liben-
tius moveor, ut tante admiratus splendorem, pulchritudinemque
vir-

1. Sub fin. 2. Cap. 26. 3. Apud Cic. lib. 1. de Offic. cap. 23.

virtutis meum hoc opusculum tibi viro humanissimo ; ac specia-
tissimo consecrandum existimet . Quod nisi illud trahit ampli-
tudinem tuam , que tam excuso loco posita est , confido certe
quidem fore , ut non plane indignum tuo nomine videatur .
Nam si Tullium audimus , ingenii specimen est quoddam
unaquaque in re transilire ante pedes posita , & alia longe re-
petita sumere . Ego autem duo mibi proposui , ut novitatem
cum argumenti utilitate conjungerem . Principio enim cum do-
blo adversario congressus epistolam Leporio suam restituio : hinc
planum multis rationibus facio , quod ante me nemo unus pre-
stiterat , Leporii opinione , & judicio admirabilem divinitatis
conjunctionem cum corpore triduo etiam mortis Christi salvam
fletisse , & incolumem : denique ad Anglos scriptores duos ,
Fidessium , & Stackousium oratione conversa , Romane Eccle-
sie de hoc solo negotio doctrinam , atque judicia vindico , su-
stineo , roboro : quibus ex rebus quanta capiatur utilitas , ita
facilius intelligent (ista enim multi sermonis sunt) , quor-
libet bellum hunc meum non pigebit evolvere .

1. Lib. 3. de Orat.





DE LEPORIO.



Augustino, summa illi & auctoritate docto-
ri, & religione Pontifici, sunt qui tribuen-
dum existimant celebratissimum sermone
omnium emendationis. libellum, quem
Leporius ante Africæ Episcopis obtulit,
quam in Galliam misseret. Duo hic no-
ster inconsiderate peccaverat, nempe &
secutus erat Pelagium, & abiuste de In-
carnationis mysterio. inficiatus cum primis, Deum
ex Maria natum esse. Quocirca facem Nestorio prætulit, &
duas Christi personas imposuit. A Galliae Episcopis initio ad-
monitus, tum ab Augustino, postquam secessisset in Africam,
pleniū edoctus, atque ad saniora consilia revocatus scriptit
emendationis. libellum, vel epistolam ad Galliaum Antistites,
ubi erroris suos ex animo corredit, atque emendavit, unam
esse in duabus Christi naturis. personam. multis, magnisque
argumentis testificans.

2. Si nobilissima tamen Theologis fidem, re incognita,
adjungimus, quamvis Leporius. veritatis dulce lumen intuitus
ad sanitatem redierit, novo se imprudens errore, nec eo le-
vissimo implicavit. Tradidit enim, illorum opinione, & ju-
dicio, divinitatem rotō mortis triduo a Christi corpore feiun-
tam, ac plane divulgatam fuisse. Qui si vera narrant, nec ab-
ripiuntur fallaciis, permultum sententia hominis. sententia
Ecclesie incommodaret, ut infra luculenter constabit (§. 13.) -
Id ergo labis, atque periculi ut avertamus, statutum in ani-
mo, ac deliberatum habuimus Leporii caussam, defensio-
nemque suscipere. Tripartito autem, ut ratione, ac via pro-
cedat,

5

cedat , dividetur oratio . Primum efficiemus , libellum , qui Leporii nomine circumfertur , Leporio ipsi , tanquam auctori , non Augustino , deberi : deinde firmis argumentis docebimus , nihil inibi deprehendi , ex quo appareat , Dei Filium a corpore , quod intime sibi coniuxerat , mortis tempore discessisse : ad extreum Ecclesie ea super re doctrinam , atque sententiam adversus memorie nostræ Heterodoxos , Fides dico , & Stackouse , constituemus , ac corroborabimus sic , ut dilurimum , nisi fallimur , luminis huic Theologiae loco aferamus , perbene autem de Republica pro ingenii nostri renitute meriti esse videamus .



P A R S P R I M A .

De Leporij Libello .

S. P ASCHASIUS ergo Quesnelius in notis epistole 134. Leonis , summi Pontificis , adjectis Leporiani vel opusculi , vel libelli auctorem Augustinum facit , permotus Leonis eiusdem testimonio , a quo is libellus Augustino tribuitur in epistola ad Leонem Augustum , ubi appendix instar veterum Paetrum auctoritates expromit . Codex enim Grimanicus , ex cuius fide epistolam Quesnelius edidit , reliquis Augustini testimoniorum locum subiicit , peritum ex Leporii litteris , qui tamen locus a Leone his Augustino verbis adscribitur : item ejusdem Augustini ex libro assertionis fidei . Cum autem Leo ante Pontificatum commoratus in Gallia diu sit , facile potuit vir acutissimus , atque omnium Ecclesiasticarum serum acer investigator , & diligens , cognoscere , quod postea in sua epistola testatus est , Augustini ingenio , & manu Leporianum libellum exaratum fuisse . Movet etiam Quesnelius Chalcedonensis auctoritate Concilii (quamquam & Theodoreti (a) moveri potuit : nolo enim occultare , quod adversarii fugit diligentiam) , cum in testimoniorum delectu , qui existat act. 2. , ille idem

(a) Dial. 2. Inconfusus .

idem locus inter Augustini testimonia numeretur. Hoc autem duplii fratribus suffragio, auctorum scilicet Chalcedonensium, & Leonis, seu Grimani codicis, omni nobis asseveratione confirmat, Leporii libellum solum esse Augustini germanum, ac suum factum: præsertim, cum bina hæc testimonia tanto plus habere ponderis debeat, quo propius & Leo, & Chalcedonenses Patres ab Augustini ætate distabant. Ac sane, nisi Leo manifeste reprehendisset, Augustino hunc libellum acceptum referri oportere, nunquam eo progressus esset, ut, tanquam sincerum, minimeque fucatum veritatis testem, Chalcedonensium Patrum concilio sub tanti viri nomine illum proponeret, atque inculcaret; multo magis, quod nonnulli ex Africa Antistites ei interessent concilio, quibus Augustini sui opuscula comperta erant, & nota omnia. Stilus ipse, & doctrina Augustinum redolent, cum plures sententiae, dicendiisque formulæ ex illius operibus sine dubio expromptæ sint, quemadmodum collatis locis, & testimoniiis copiosissime ante Quesnellium Joannes Garnerius (*a*) patescit.

4. Atque hæc fere dispueat summa animi contentionem adversarius, a cuius ego doctrina vehementer dissideo. Neque tamen Leoni cum Samuele Basnagio memorie aberrationem vitio dabo (*b*): parum enim modeste, atque honorifice de tanto Pontifice is loquitur: sed potius sic existimo, & mibi facile persuadeo, potuisse Leporii epistolam non proprio, & suo, sed Augustini nomine a quibusdam veteribus designari, quia Augustini ejusdem non admonitu solum scripta est, & auctoritate approbata, sed etiam illuminata sententiis. Repugnare autem huic rationi Quesnelli nequit, si eorum meminerit, quæ infra num. 7. commentatus est, cum simile sibi argumentum enervandum, ac diluendum proponeret. Tertia illa Pelagii II. epistola, quam librum Pelagi successor Gregorius Magnus appellat, ad Eliam Aquileensem, Istriæque Episcopos data, ab eodem Gregorio, teste Paulo Diacono (*c*), conscripta est, eamque tamen Gregorius ipse affirmit, Pelagii esse, non suam (*d*).

5. Ceterum satis erat hoc loco de Leone Pontificifice respondere, quin veteres multitudinis numero memorarem.

(a) Differ. a. in hist. Pelag. not. ad hunc libel. artic. *libellus*.

(b) Ad ann. Chr. 425. num. 3. (c) Lib. 3. de Gest. Langob. cap. 20.

(d) Lib. 2. Epist. 51.

Nam quod attinet ad Chalcedonenses Patres, vir doctus insinuiter fallitur, eodem, quo vulgo alii, errore implicitus. Patrum enim antiquorum testimonia a Leone collecta, & post Iatrocinium Ephesinum in Graciam missa, nullo modo, ut haec tenus creditum est, pertinent ad Chalcedonense Concilium. Licet enim in vulgaris Conciliorum actis subjecta sint celeberrima Leonis ad Flavianum epistola (a), quæ exstat actione 2. ejus Concilii, absunt tamen a codicibus manu scriptis. Certe illum testimoniorum delesum ad Chalcedonense Concilium pertinere non posse, asscucus conjectura fuerat Stephanus Baluzius, qui propterea *hęc testimonia*, inquit, *non existant in codicibus mſt.*, *neque in antiquis editionibus*: ac tamen, *etſi in aliquibus Gracis*, ut monent editores Romani, *inferrantur in hoc loco*, puto tamen, *lecta non fuisse in Synodo*, adeoque fruſtra descripta esse in his gestis, *in quibus nulla horum testimoniorum mentio eſt*, *sed epistolæ tantum*. Rem vero certam faciunt tria Graeca Chalcedonensis Concilii exemplaria, quæ in locupletissima Bibliotheca Veneta confulerunt, exemplum eruditioſis par, fratres Ballerini. Cum enim in his exemplaribus epistola ad Flavianum bis proferatur, nimis rurante acta, & in actis, nihilominus testimonia illa veterum non subiiciuntur epistole, quæ eſt in actis, sed quæ ante acta describitur. Nec dubitamus, quin in Gracis etiam Romano-rum editorum codicibus eadem testimonia legerentur post epistolam ante acta productam. Verumtamen sicuti epistolam supprimendam in documentis putarunt, quæ acta antecedunt, ne eādem iterum in actis proferrent; ita ea testimonia epistolæ in actis descriptæ illiganda esse censuerunt: de qua re cum letores non monuissent, hinc disputationi illi Baluzii locum dederunt. Cautius Rusticus Diaconus, qui prætermissa epistola ante acta, ideo quod in actis, ut ipse loquitur, descripta sit, tamen ne hic quidem supposuit testimonia, quod ad acta nullo modo pertineant.

6. Sic igitur habeas, velim, Quesnelli. Testimonia veterum non misit Leo, neque perferri jussit ad Chalcedonensem Patrum concilium, sed anno ante collegit, quemadmodum constat ex epistola 53., post Ephesinum Iatrocinium, atque Abundio, Asterio, Basilio, & Senatori Constantinopolim jussu suo proficiscientibus tradidit, ut doctrinam epistolæ ad

(a) Edit. Quesnel, 24.

ad Flavianum Græcorum, & Latinorum Patrum auctoritatis confirmarent. Sunt autem una cum litteris producta a legatis in Constantinopolitano conventu ante Synodum Chalcedonensem, ut ex epistola 68. ad Paschasium manifestum est. Nihil propterea mirum, si hæc testimonia in Græcis documentis ante acta Chalcedonensis Concilii eidem epistola adscripta fuerint, licet primum epistolæ exemplum illis catuerit. Fit autem probabile, solos Græcos, qui ea simul allata, recitataque acceperant in Constantinopolitano conventu, exemplaria scripsisse, in quibus epistola ad Flavianum una cum testimoniosis legeretur, atque exinde in Græcos codices tum epistolam, tum testimonia ante acta Chalcedonensis contulisse, ut paulo fuisus Ballerius ostenderunt (a). Quo modo tota illa argumentatio, qua tantopere Quesnellius nitebatur, ex Chalcedoneensi informata Concilio, omnis plane expers est roboris.

7. Sequitur, ut de scriptione, ac stilo Leporiani opusculi breviter dicendum esse videatur. Qua de re primum Joannis Garnerii proferemus judicium. Is enim sic existimat, opusculum, sin minus ab Augustino compositum, quod non improbabiliter videri potest propter stilum, doctrinam, & loquendi formulas, auctorem saltem Augustini sententiam exprimere voluisse, tum epistola tertia (b) ad Volusianum, tum aliis passim in locis expositam (c). Voluisse autem scriptorem Augustini sensa dicendo exprimere, & Quesnelli, & Garnero non repugnanter assentior: hinc factum est, ut stilius, quo auctor orationem formavit, proprius ad Augustinianum accederet. Primum illud tamen, libellum nempe ab Augustino scriptum fuisse, non improbabiliter videri posse, concedere nequo, immo ne ii quidem, ut opinor, concedent, qui sint in Patrum lectione vel mediocriter versati. Alioquin permulta antiquorum opuscula, quæ Patribus detracta sunt, eisdem rursus, veluti auctoribus, atque parentibus, cogemur tribuere, quod illorum voces, sententias, & doctrinam continant. Quesnellius ipse sermonem i., sive tractatum *adversus errores Eutychetis, & aliorum Hereticorum*, qui Leonis nomen præferebat, huic Pontifici fuisse suppositum censuit, in Appendicemque nihil hæsitans contulit, quod veluti

B 2

ca-

(a) Admon. in epist. 28. Tuse edit. num. 8. & 9. (b) Nunc 237.

(c) Loc. cit. ad §. 8.

centonem quendam habuerit ex variis Leonis locis compactum. Leporii autem epistola referta est Augustini vocibus, atque sententiis, nec dissentit Quesnelli. Quesnelli ergo approbatione, & judicio non adjudicanda Augustino est, sed relinquenda Leporio.

8. Gennadius certe, cuius etate ea jam epistola in omnium manus pervenerat, in lib. de scriptoribus cap. 59. Leporium nominat. *Leporius abduc Monachus, postea presbyter, presumens de puritate vita, quam arbitrio tamen, & conatu proprio, non Dei adiutorio obtinuisse crediderat, Pelagianum dogma ceperat sequi; sed a Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum emendatus scriptis emendationis sua libellum.* Quid, oro, testarius, & illustrius? Leporium nominant & Africani Antistites in commendatitiis ad Gallos litteris, in quibus de illius pietate, atque emendatione doctrinam commemorabant. *Sicut per presentiam susceptus est a nobis, sic per suam epistolam suscipiatur a vobis, sui quidem epistole nostro etiam manu subscribendum putavimus, ipsius esse tenentes.* Potuit ne apertius dici, libellum Leporii esse, Augustini non esse? Idipsum perspicue confirmat Facundus Hermianensis, homo genere Afer, his verbis: *scriptis libellum satisfactionis Leporius ad Gallos Episcopos, quem venerabiles Patres Aurelius, atque Augustinus, & ceteri sic probarunt, ut ad faciendam veritatis fidem suas ei subscriptiones adicerent (a).* Et Ioannes II. Pontifex Maximus, in epistola ad Avienum, Liberium, & alios Senatores, Leporius, inquit, *in epistola, quam Aurelius Episcopus Cartaginensis, & B. Augustinus, & Synodus Africana firmavit.* Post hæc supervacuum esse arbitrio Vigilii Tapsensis (b), atque aliorum producere testimonia, cum praesertim causam fuisse nullam video, cur libellum Augustinus componeret, ad quem scribendum satis erat a doctrina instructus Leporius.

9. Eruditionei enim, magnarumque rerum scientiam illi detrahere, quod erroris caussas in suam ipse ignorantiam conferat, & stultam, ut confitetur de se, simplicitatem suam acceperit, non est hominis, satis acutæ ex natura loci, personam, & temporis disputantis. Neque tamen, ut doctrinam Leporio vindicem, ratione illa solum Basnagii moveor, Le-

por-

(a) Lib. 1. cap. 4.

(b) Lib. 2. de Trinit.

porium postea sacerdotem fuisse⁷. Sed movere me potius, & impellit Basilius Diaconi, Thessalii, aliorumque Monachorum auctoritas, a quibus in supplici libello, quem Theodosio Imperatori adversus Nestorium obtulerunt, numeratur noster inter sanctos fidei Catholicæ doctores, adversus impietatem Samasateni, Photinique defendantem, quod Christus verus sit Deus, catholicisque mysterium Incarnationis exponentes (a). Et conatur quidem Quesuellius argumentum depellere, affirmans, mentionem hic fieri Leporii alterius, qui floruerit ante Ambrosium, Mediolanensem Pontificem. Verum ut alii Leporii vivierint in his Hispanus Episcopus, qui Toletano primo Concilio interfuit (b), habito ipso anno 400. hactenus tamen, præter hunc nostrum, Leporium novimus neminem, qui divinitatem Christi defenderit, editoque libello explicaverit sic, ut propterea inter sanctos fidei Catholicæ doctores referretur. Quæ si diligentius, & animo vacuo considerasset Quesuellius, nunquam suas Leporio possessiunculas abstulisset.

10. Enimvero magna semper jam inde ab initio ejus epistole fuit auctoritas, tanta profecto, ut Leporius, quod iterum admonendum puto, atque omnium auribus inculcandum, veritatis adversus Nestorium defensor dici potuerit (§. 9.), ex eaque Joannes ipse, Romanus Pontifex, testimonium sumpscerit (§. 8.), quo dogma fidei confirmarer. Nec mirum. Totius enim Africani Concilii nomine a quatuor Episcopis subscripta, atque probata est, ab Aurelio, ab Augustino,

Flo-

(a) In actis Ephes. Concil. par. cap. 30. (b) In subscription. Tom. 2a Concil. Hisp. edit. Aguir.

1. Qui id ex Leporii Sacerdotio colligatur.

Recte philosophatur tamen Basnagius. Leporium enim, natione, & genere Gallum, in sacerdotum cæstum in Africa adscriptum fuisse, cum severioribus, atque uirtutis disciplina veteris legibus param confeuit, & conpruit. Qua de re consulendi Hallierius (de sacr. Elect. par. 2. sed. 5. cap. 3.), & Cabassutius (Notit. Eccles. Concil. ad can. 36. Nic. 1. Concil.). Existimandum est igitur, singularibus Leporium excelluisse viriutibus, singularia in ornamenta animi, atque adeo doctrinam fuisse, & scientiam, quæ propterea Africanos Patres impulerint, ut illum sacerdotem crearent. Este autem Leporium in Africa in eum ordinem cooptatum, fidem duo potissimum faciunt. Primum enim Leporius ad epistolam solum apposuit nomen, quin ullam addiderit voculam, qua declararet, se Sacerdotii titulum fuisse. Est hoc autem antiqui moribus, consuetudinique convarium. Nam Lucidus, verbâ gratia, subscríbens libello, quo errores suos & ipse emendavit (vid. opus nostr. de Pior. in finu Abrahæ beatitud. ante Christi mort. cap. 3. §. 43. & not. 9.) Presbyterum rotunde se nominat. Deinde Africani Leporium. Eiusnam appellant suum in commendatione ad Gallos epistola.

Florentio, & Secundo (*ibid.*), fecitque ea approbatio, ut Leporiana epistola ipsi Africano Concilio tribueretur, habeturque, tanquam dogmaticum Episcoporum judicium a Basilio Diacono, & sociis in libello, de quo antea diximus. Quæ Cassianus magnificenissime testatus est, cum Leporii litteras esse monuit Catholicorum omnium fidem. *Hanc ejus confessionem, id est Catholicorum omnium fidem, & omnes Africani Episcopi, unde scribebat, & omnes Gallicani, ad quos scribebat, comprobaverunt* (a), paulloque post Leo Magnus, qui illius doctrina, & auctoritate pugnavit (§.3. & seq.)

11. Addit Hieremias a Bennettis, ex sacra Capucinorum Familia, tum multa alia, tum hoc potissimum, libellum suum antea misisse Romanum Leporium, ut judicio summi Pontificis firmaretur, postea ad Aurelium, Chartaginensem Episcopum, atque ad Africanorum Patrum concilium (b). Sed falsa prorsus sunt omnia, multa vero inter se se, & cum tota pugnant historia. Ego autem ignosci pervelim viro laboriosissimo, qui cum omnia arripare soleat, & more quodam suo congerere, quæ comportari unum in locum possunt, nequit suis unquamque rem examinare ponderibus, neque adeo de auctorum sententiis distinetè, fideliterque cognoscere. Ac bene habet, quod his commentis causa non indiget, ut Leporiani opusculi, Romanorumque Pontificum sit auctoritas. Certe opusculum Romanum fuisse missum, ne levi quidem indicio Facundus significat, quem ille tamcn testem appellat (c), silent etiam Africani Antistites in epistola, qua libellum, Leporiumque libelli artificem studiose Gallis commendant. Tantam vero rem nullo modo siluisse, si re vera eum libellum Romanus Pontifex judicio suo sapientissimo, & maximo approbasset. Id etiam repugnat testimoniosis, atque auctoritatibus, quas §.3. & extre-
mo §.10. protuli, ut etiam, tacente me, perfacie omnes intelligent. Africanum autem Concilium habitum fuisse Chartagine, manifeste Leporii ipsa subscriptio loquitur. In hac enim verba concepta est. *Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam, quam, Deo volente, in finem usque tenebo, medullitus exprimere volui, coram sanctis Episcopis in Ecclesia Chartaginensi relectum subscripti*. Quo ex loco perspicimus, li-
bel-

(a) *De Incarn. lib.1. cap.4.* (b) *Privil. Rom. Pont. par. 2. Tom. 5. art. II. §.2. pag. 216. 217.* (c) *Ex lib. cap.4.*

9

bellum perfserri non debuisse Chartaginem ad Africanum Concilium, cum praesens adesse Leporius^a.

12. Patet etiam, quam temere Quesnelius faciat, qui ea ratione libellum nostro huic suum abjudicat, quod is dixit: *bujus epistola fidem, bujus epistola professionem* (*a*), veritus scilicet epistolam suam dicere, quam probe sciebat, ab alio perscriptam fuisse. Argute sane. At nonne affirmat Leporius, fidem se suam in libello exprimere voluisse? Quem si Augustinus composuit, non ipse hercule fidem suam, sed Augustinus potius Leporii fidem, atque sententiam explicasset: hinc oportuisset ab eo scribi, non illud quidem, *fidem meam exprimere volui*, sed *rectius, exprimi*. Ad hanc alia plane, ac dissimilis est subscripti ratio, qua utuntur Dominus, & Bonus, qui una cum Leporio erraverant, libellumque & ipsi suis manu, & litteris confirmarunt. Adhibuerunt enim hanc formulam. *Ego Dominus hanc fidem teno, confiteor, huicque subscripti. Ego Bonus, ceteraque, ut Dominus.* At Leporius, quemadmodum vidimus, ita loquitur, ut libellum plane, ac discrete sibi uni, tanquam architecto, & opifici, attribuere videatur. Quod ergo verbo tenus monitum est a Ca. veo (*b*), leves esse conjecturas Quesnelli, quibus hominem de possessione conatur delicere, id nos rebus ipsis, atque argumentis liquido demonstravimus.

PARS

2. Annus Africani Concilii, historiaeque Leporii.

In quem annum Africorum Patrum concilium, Leporiique historia reliqui debeat, magna est opinionum varietas. Quot capita, tot sententiae. Cardinalis Norisius eam hillorum in annum contulit 407. Garnerius in annum 424. Sirmundus in 425., in 426. Labbeus, itemque Basnagius, qui falsoscribit, a Bironio concili in annum 420., cum vir praltans nihil de anno definit, existimans, dubiam esse rem, & incertam (ad ann. 420. num. t3.). Ego cum Tillemontio (Tom. 13. not. 85. in August.) annum 428. animofe satis prefero. Moveor autem hac ratione. Leporii enim errores ignoti Augustino sine dubio erant, cum in libro de corrept. & gratia cap. 11. hac litteris prodidit. Neque enim quisquam tanta rei bujus, & fidei causa est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto, & Virgine Maria, filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei Filius. Pafium quippe errorem istum suum Leporius repudiat, atque execratur. Jam liber de correptione, & gratia compositus ab Augustino est anno 427., quemadmodum & Norisius, & Tillemontius (ibid.) docuerant. Libellus igitur, historiaeque Leporii, tunc Africorum Patrum concilium, quibus libellus ille oblatus est, in annum 428. conferri debent. Eventus certe anticipate non possumus.

(a) Num. 21. & 3. (b) Hist. script. Eccles. in Leporio.

11

cujuſque expugnabit vel pertinaciam. Quod si letabile, & gloriſum fuit editori Maurino eandem illam labem, atque ignominiam ab Hilario ſuo depellere, quanto erit letabilius Leporium defendere, de quo cum agitur, non unius Leporii gloria, ſed veterum auſtoritas agitur, cum Eccleſiae doſtrina, atque exiſtimatione conjuſta?

15. Principio igitur notum eſt, qua cauione, ac studio-confefſiones, quod ajuſt, ſeu fidei formula conderentur, quam accurate verba, que ponebantur, ſingula ponderari ſolerent, in eorum poriſſimum ſcriptis, qui, abjecta pravitate erroris, relipiferent. Satis id autem argumenti eſſe poterit, ut credamus, nihil excidiſſe Leporio, quod hypothatica conjuſtationis vineulum aliquo modo abſcindere, aut diſſolvere videretur. Alioquin non defuſſent profecto in magna doctiſſimorum hominum copia, qui totum id oſſacerent, atque reſpuerent; eo magis, quod noster duas anteā in Chriſtum perſonas induxe-
rat (§.i.). Neminiſ præterit, nonnullos fuſſe Patres, quē Arianiſ concesſerint (ne novam fortalſe liem, aut quaſtioneſ fuſſicerent), Chriſtum, qua hominem, ignoranteſ extreſi ju-
dicii diem. Objecṭa diluens id etiam Leporius dederat, & ta-
men, ne uila erroris relinqueretur fuſpicio, imperium Lepo-
rio eſt, ut palam proſteretur, ne qua hominem quidem, Do-
minum Prophetarum ejus diei noſtiria caruiſſe. Dic̄i, inquit,
non licet (a). Neque ægre tulifſent Africani Antiftites, dici a
Leporio, divinum Verbum mortis tempore fuſceptum a ſe
corpus re, & hypothaſi relliuiſſe, ſi eo quidem vocabulorum
ſignificatio trahi poſſet? Nemo ex Gallis, quorum placare
offenſionem debuit, repugnatſet? Nemo corum, qui Leporii
litteras attentiſſime legerant, corrigeſdum errorem, atque
emendandum putalſet? Credant, per me licet, ut volunt,
ali: mihi, ne ſummiſ viriſ injuriouſ ſim, perſuaderi nunquam
poſterit, Lepoſium in gravifſima cauſa parum religioſe, & pie
locutum eſſo.

16. Vitalis, & Constantius, Hispani homines, no-
vi-
tate Nestorianæ doſtrinae, pravitateque commoti, anno circi-
ter 431. Capreolum, Chartaginensem Antiftitem, per litteraſ
conſuluerant, ut certiores ab eo fierent, quid ipſos ſequi
oporteret, & credere, quid abnuere, atque reiicere. Magna
enim florebat Capreolus pietatis, & ſapientie gloriæ. Total-

C

clar-

(a) Num. 50. edit. Garn. in Differt. Pelagian.

clamabat epistola, præclare ambos de Christi divinitate sentire. Verum cum in extrema parte dixissent, *nunquam Deus recessit ab homine adsumpto, nisi quando dixit de cruce...* Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?, quibus fortasse verbis significare voluerunt, conjunctionem hypostaticam in ipso mortis articulo recessit, ac dissolutam fuisse, divinitatem scilicet recessisse a Christo, nihil dissimulavit Capreolus^a. Argumentum igitur ipse sibi proposuit, longa oratione refutavit, collatis sententiis, ac testimonio docuit, morientis Christi verba veram homi nisi infirmitatem ostendere, non divinæ majestatis, ut loquitur, evacuare præsentiam (a). Quanto magis Africani illi Patres, Galli, ceteri obstitissent Leporio, eumque mutare jussissent sententiam, si Christi corpus a divinitate mortis triduo dimissum, ac destitutum rebaratur?

17. Ea enim opinio ab antiquorum doctrina, ac testimoniis mirifice dissidebat. Qui ut Arianos, Apollinarisque discipulos anima Christum minuentes resellerent, ad incitasque redigerent, hoc in primis argumentum etiam, atque etiam premebant. Moritur homo, cum animus discedit a corpore: si ergo divinitas in Christo loco animæ fuit, ab illius etiam corpore disiuncta est, quod esse nullo modo potest. I. Sed audiens Athanasius, qui cum ex sacris litteris revera Christum fuisse mortuum demonstrasset, Apollinaristas sic urgebat, ut, quo se verterent, non haberent. *Quonam igitur pacto Iudei valuerunt solvere templum Dei, & indissolubilem carnem cum Verbo commixtionem dirimere, si quidem bujusmodi facta est, ut dicitis, corporis mortificatio? Non enim mortificatum est corpus, nisi sit ab aliquo separatum..... Cum igitur Christus, ut narrat, delicia eius, Joannes, inclinato capite tradiderit spiritum, quemnam spiritum putatis, a corpore fuisse sejunctum, ex quo consecrata sit mortificatio? Dixistis enim, carnem exstantia carentem sibi admiscuisse Verbum, & sic vere rationabilem, ac perfectum hominem effecisse. Igitur si Verbum recessit a corpore, & ita mortificatio facta est, contra Deum prævaluerunt Iudei hoc ipso, quod indissolubilem mixtionem solverunt (b).*

Hac

(a) Num. 25. Tom. 2. Conc. Hisp. edit. Aguir. (b) De salut. adv. J. C. 3. Vitalis, & Constantius non Episcopi.

Vitalem, & Constantium Hispanos fecit Episcopos, Hororatus Tourne-lyus (loc. cit. ad §. 13), reclamantibus, contraque obnitentibus illorum, & Capreoli litteris. Se illi peccatores vocant, Capreolum Dominum suum, Capreolus autem am bos filios nominat, Episcopos aufgiam.

Hec , atque alia plura Athanasius , quæ nisi Christianis reliquias explorata fuissent , & cognita , magnoque omnium firmata consensu , non id arripuissest teli invictus ille religionis nostræ propugnator ad nefariam hominum repellendam calumniam , quorum opinione divinum in Christo Verbum vice animæ fungebatur . Respondere enim e vestigio poterant , migrasse Christum e vita , ideo quia divinitas secessit a corpore : quæ doctrina est Athanasio extra modum absonta , & absurdâ .

II. Eadem ratione , & via disputabat Gregorius Nyssenus tum in primo adversus Eunomium , tum in epistola ad Eu-
stathiam , & Ambrosiam , ubi præsertim docuit , *corpus ipsius Dominum appellari ob insidentem ipsi divinitatem* . Fuit autem ante Leporium in hac sententia optimus , & vetustissimus quisque , ut §. 27. luculenter me demonstraturum esse confido . Quæ cum sint , ne Leporii quidem judicio a Servatoris nostri corpore separata est triduo mortis divinitas . Alioquin Africani juxta , ac Galli coarguisserent errorem Leporii , cuius doctrina cum antiquorum sensu non congrueret , sed pugnaret : quo modo Capricolus paucis post annis opinionis ejus levitatem omnibus viribus profligavit , nec passus est in Vitalis , & Constantii mentibus inhærente (§. 16.) , probe intelligens , a superiorum doctrina penitus discrepare .

18. Sed , quod caput est omnium , Augustino ipsi , qui Leporianas probavit litteras , illud semper persuasum , ac certum fuit , conjunctionem hypostaticam mortis etiam tempore salvam , atque incolumem permanisse . Tract. 47. in Joan. n. 10. ex quo Verbum caro factum est , ut habitaret in nobis , & suscepimus est a Verbo homo , ideo totus homo , anima , & caro ; quid fecit passio , quid fecit mors , nisi corpus ab anima separavit ? Dei Filius totum hominem , animam nimirum , & corpus suscepereat : mors autem ex Augustini sententia animam tantum separavit a corpore ; conjunctionem igitur divinitatis cum anima , & corpore non dissolvit . Paullo post argutissime quidem , sed perspicue tamen vir sanctus ostendit , solum corpus se junctum ab anima , quemadmodum & animam solam , Christum vere , ac proprie appellari : ex quo locutionis genere necessario intelligi debet , Filium Dei cum corpore , quod sepultura mandatum erat , indissolubili viaculo copulatum fuisse . Sed præstat exscribere testimonium . Audeo dicere , & sola caro Christi dictus est Christus . Credimus certe non in solum Deum Patrem , sed & in

*E*n Iesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum. Potum ibi intellige, & Verbum, & animam, & carnem. Sed utique confiteris etiam illud, quod habet fides, in cum Christum te credere, qui crucifixus est, & sepultus. Ergo etiam sepultum Christum esse non negas, & tamen sola caro sepulta est. Si enim erat ibi anima, non erat mortuus: si autem vera mors erat, ut ejus vera sit resurrectio, sine anima fuerat in sepulcro: & tamen sepultus est Christus. Ergo Christus erat etiam sine anima caro, quia non est sepulta, nisi caro: Num. 13. Similia his, planeque eadem, & gemina docuit tract. 69. num. 3., & epistola 187., que est ad Dardanum, num. 7. Abierit nunc Leporius, discesseritque in partes contrarias: cum Augustinus indissolubilem omni tempore esse Christum existimaverit, idque tam multis locis constantissime persuasum habuerit, quin etiam a populo vulgo credi intelligerer; sit ne verisimile, suo ipsum testimonio illius epistolam approbaturum fuisse? Leporius autem, qui Augustini vocibus libellum suum, & doctrina referret (§. 4.7.), cuius sensa sibi non ad cognoscendum solum, sed etiam ad imitandum proposuit, in hoc demum capite a viri maximi auctoritate discessit? Nec reclamavit Augustinus, siluerunt Africani, tacuerunt Galli Antiflites, totus propemodum terrarum orbis obmutuit? Mirum! Omnino igitur fateri cogimur, ipso coacti veritatis judicio, parum eos ad considerandam rem adhibuisse temporis, & diligentie, qui Leporium, cum palindiam caneret, ia alium errorem lapsum esse constituant.

19. Sed jam ponam illius verba, ut accusatores non exterris solum testimoniis, sed ipsa rei confessione coarguant. Clamavit ergo, ait noster, sicut scriptum est, Deus, Deus meus, quare me deceliquisti?, & in ligno crucis pendens hanc vocem primi mortii emisit, non ut humanam, perfectamque in se patientiam demonstraret, qua sine testimonio vocis, caussis ipsis, & rebus evidenter probaretur; sed ut vere, manifesteque Filius Dei secundum carnem se ostenderet moriturum. Et velut carne ipsis voce utens, ponens praeteritum profuturo, quia per mortem crucis necessariis terrenum corpus erat a Deo pro tempore relinquendum, non solum a Deo, verum etiam ab anima sua, que erat unita cum Deo, hoc ipsum, priusquam fieret, nobis morienti testoretur. Non enim, tradito spiritu, caro mortua poterat hoc clamare: aliquis mortuum Christum in veritate quis crederet? Deus non in passionibus hominem, qui in homine secundum car-

nem dignatur est pati : sed corpus in morte , & juxta legem crucifixum hominem reliquit in panam , sed examinem carnem deferuit ad tempus : tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulchro , quam idem Christus Filius Dei ad Inferna descendit (a) . Præter alios , qui palam Leporium arguunt (b) . At postrema verba satis loquuntur ipsa per se , Leporium in causa , quam habemus in manibus , nihil peccasse , immo cum Augustino , veteribusque sensisse . Ve omnem tamen ex animis scrupulam evellamus , paullo altius ordiendum puto .

20. Principio exhibere molestiam video , quod enunciatum Leporio , necessario terrenum corpus suiss a Deo pro tempore relinquendum , non solum a Deo , verum etiam ab anima sua . Sed si meditationem adhibeas in consilium , difficultas illa omnis levabitur . Petrus Lombardus similem Ambrosii locum explicatus sic existimat , hoc unum sibi illum velle , divinitatem se a corpore segregasse , detracto auxilio , non dirempta coniunctione , idest separasse se foris , ut non adficeret ad defensionem , sed non desuisse intus ad unionem : si enim non ibi contribuisset potentiam , sed exercuisse , non moreretur Christus (c) . Concinit cum Lombardo Hugo Victorinus (d) : quorum interpretatio ad Leporium mirabiliter convenit . Nam quod eam corporis derelictionem volit intelligi , non qua divinitas se jungetur a corpore , sed quæ necessaria erat , ut mori Christus posset , vel ex eo perspicue deprehenditur , quod paullo ante posuerat propterea Christum in illa verba erupisse , ut vere , manifesteque secundum carnem se ostenderet moriturum . Tanta est enim divinitatis vis , ut nisi opem morituro homini , atque auxilium denegasset , mors , Leporii , reliquorumque sententia , sanctissimum corpus non potuisset attingere . Corpus igitur erat a Deo pro tempore relinquendum , non solum a Deo , verum etiam ab anima sua , quæ erat unita cum Deo . Deus scilicet neque te , & presentia , neque favore , & auxilio deseruit animam , quæ idcirco divina ope munita glorioissimam de Inferis victoriam reportavit . A corpore autem tibi te non discesserit , quod fecit anima , discessit tamen quoad potestatem , defensionem , ac vim ,

(a) Num. 18.

(b) Hic not. ult.

(c) Lib. 3. dist. 24. l. 1.

(d) Lib. 2. de Sacram. par. 2. cap. 10.

potestate conjunxit (a). Ut ergo superior illa Leonis sententia reprehensione vacat, & errore, ita ne arguendus quidem Leporius. Sed ejus orationem sic oportet accipere, ut divinitas corpus reliquerit, quia potestatem suam cohibuit. Neque enim trepide discessit, sed inimicorum furori concessit, non conjunctionem dissolvit, sed defensionem suscipere noluit, ut mortem Christus posset oppetere. Eodem modo apud Leonem non solum Pater Christum reliquit, sed etiam ipse se Filius quadam ratione deseruit.

22. Si quis est autem, qui huic doctrinæ, quæ tam præclare, ut opinor, constituta est, parum fortasse æquum, facilemve se præbeat, hunc alia via conabimur ad partes nostras adjungere. Scilicet divinitas e loco, in quo prius intelligebatur versari, discedere vulgo dicitur, cum nova ratione, novo rerum ordine in alio se se patescit, præsentiamque suam declarat. Hinc Dei Filium, cum in virginali Mariæ utero conceptus est, reliquise cælum, & in has terras descendisse, communis sermonis consuetudine profitemur. Eaque re acutissimus etiam vir Augustinus Patrem a Filio dimissum docet his verbis: *dimisit enim Patrem quodam modo: non omnino dimisit veluti ad separationem, sed ad susceptionem humanae carnis (b).* Similiter ergo affirmare & Leporius potuit, divinitatem mortis tempore corpus reliquise, non ad dirimendam quidem conjunctionem, sed ad subeundam mortem. Et vero recessit nescio modo a suscepso corpore Dei Filius, quod hic hominum furori, & crudelitati permisit, dum interim ad Inferos digressus cum anima illustriora ibi potentia, ac divinitatis suæ monumenta constituit.

23. Ne quis autem obniti, aut omnino histere audeat, faciunt extrema verba Leporii: *¶ tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulcro, quam idem Christus Filius Dei ad Infera descendit.* Hinc enim duplex, idemque firmissimum attento cuique argumentum se obiicit, unde ostendatur, in eorum numero reponendum Leporium, non qui communem caussam deseruerint, sed qui conjunctionem hypostaticam ne ad punctum quidem temporis dissolutam fuisse docuerunt. Nam primum ex Gregorii Nysseni (§.17. II.), & Augustini (§.18.) auctoritatibus intelleximus, qui Christum, vel Dominum sepultum dicit, eum perspicue fateri, a corpore, quod sepultus mandatum est, divinitatem non recessisse. Idcirco enim solum

(a) Serm.71, de Resurr. num.1. (b) In psal.44. num.12.

solum corpus , est relictum ab anima , Christus & nominatur , & est , quia adjunctam habet divinitatem . Quod aliis etiam antiquorum testimoniosis efficere luculenter possum . In his Ferrandus , Chartaginensis Diaconus , discipulusque Fulgentii , in epistola , qua est ad Severum , n . 8. , totus Christus , inquit , apud Inferos fuit secundum animam rationalem , quia caro non fuit , cum qua totum est . Totus Christus in sepulchro fuit secundum carnem , sed non totum , quia anima rationalis ibi non fuit , cum qua est totum . Verbum tamen Dei & cum anima sua apud Inferos , & cum carne sua in sepulchro fuit Quare autem Verbum totus Christus , & anima rationalis totus Christus , & caro totus Christus , nisi quia una est Verbi , anima rationalis , & carnis persona ? Alcuinus quoque cum disertissime , planissimeque dixisset , Deum cum corpore jacuisse in sepulchro , cum anima autem ad Inferos penetrasse , sic interrogat . Nam vero cum Christus uno , eodemque tempore & in sepulchro jacuit , & in Infernum descendit , quis non inseparabile naturae utriusque opus videat (a) ? Concinit Petrus Damianus , cuius haec est oratio . Quisnam est derelictus in Inferno ? Christus Jesus , sed in anima sola . Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulchro ? Christus Jesus , sed in carne sola . Ergo in his singulis Christus , & in omnibus non duo , sed unus est Christus (b) . Superius igitur grates . Salvus est , atque in tutto Leporius , quin etiam de Ecclesie doctrina immortaliter meritus . Nam qui Christum sepultum fatentur , eorum sententia divinitatem cum illius corpore mortis . etiam triduo copulari oportuit . Tradidit autem Leporius , Christum jacuisse mortuum in sepulchro , neque hoc contentus rotunde addidit , Dei Filium : rotunde igitur & illud docuit , inexplicabilem divinitatis conjunctionem cum corpore dilectam mortis tempore non fuisse . Quid queris amplius ? Aut quid , amabo , ad defensionem Leporii asserri potest luculentius ? Et tam Christus Filius Dei (continere enim me nequeo , quin ad diluendum crimen iterum verba hominis proferam) , & tam Christus Filius Dei tunc mortuus jacuit in sepulchro , quam idem Christus Filius Dei ad Inferna descendit .

24. Sed & comparatio , qua Christus in sepulchrum illatus cum Christo profecto ad Inferos confertur , locuples nobis multoque gravissimum ad obtainendæ victoriz spem argumentum suppeditat . Nam si unum fortasse auctorem libri de symbolo

Apo-

(a) Lib . 3. de Trin . cap . 16 ; (b) Opusc . 1. cap . 7.

19

Apostolorum, qui Ambrosii nomine circumfertur, excipias (*a*), nemo est e veteribus, qui divinitatem illo mortis intervallo cum sanctissima Christi anima non conjunctam crediderit. Conjunctam certe Leporius creditit, idque semel ad faciendam fidem, atque iterum maximis litteris affirmavit in loco, quem enucleandum suscepimus. At idem statuit, diserteque pronunciat, eundem Christum Filium Dei, qui discessit ad Inferos, mortuum in sepulchro, atque exanimem jacuisse: quare divinitatem noster ut cum anima, ita etiam cum corpore copulavit. Quæ tam in promptu sunt, & illustria, ut mirer plurimum, qui potuerit fieri, ut Petavio, cæterisque Theologis, summis sine dubio viris, atque eruditissimis, in mentem non venerint; Petavio cumprimis, qui multa viderit, atque probaverit Majorum testimonia Leporiano huic similia (*b*).

P A R S T E R T I A :

De Ecclesiæ ea super re doctrina.

25: **Q**UAMQUAM vehementius mirari deboeo, esse homines, præsertim in Anglia, qui perpetuitatem hypostaticæ hujus conjunctionis cum corpore nitantur evertere, nec in doctrina Romana Ecclesiæ acquiescant. Qui mihi videntur Gigantum more bellare cum Diis, idest naturæ, & toti antiquitati resistere. Dei enim Filium, cum mortem in ara crucis occubuit, a corpore re, & præsentia non discessisse, vetus Ecclesiæ, planeque certa sententia est, magna Patrum confessione firmata. Eaque in Catechismo Romano, cuius quæ sit ad persuadendum anctoritas, alibi ego opportunius complexus sum (*c*), proponitur in hæc verba. Cum *Iesum mortuum esse dicimus, id significamus, ejus animam a corpore divisam esse, neque tamen concedimus, divinitatem scilicet a corpore: quin potius conflatenter credimus, & confitemur, anima ejus a corpore divisa, divinitatem tum corpori in sepulchro, tum animæ apud Inferos conjunctam semper fuisse* (*d*). Id porro asseveranter, ut vidimus, tradiderunt Capreolus non solum (§.16.), Augustinus (§.18.), Leo (§.21.), Ferrandus, Alcuinus, Daudianus

(a) V. Petav. lib.12. de Inc. cap.19. num.2. (b) Ibid. (c) In oper. de Pior. in sinu Abrahæ beatit. ante Chr. mortem cap. 9. § 99.
(d) Par. 1. cap. 5. num. 6.

mianus (§.23.) , verum etiam Athanasius , & Gregorius Nyssenus (§.17.) , credideruntque cum his , Athanasi scilicet , & Gregorio , Christiani veteres plerique omnes (ibid .) . Qui-
bus nunc primum accedit Leporit auctoritas (par. 2.) , simul eorum omnium , qui Leporii opusculum suis vel suffragiis , vel praeconialis approbarunt (§.10.) .

26. Quamobrem satis hac essent ad illos refellendos , qui audacter dissentient . Sed quoniam agimus cum hominibus , qui Patrum se auctoritatem prohtentur tuscipere , operat premium esse arbitror aliorum exscribere testimonia . Fuerunt enim in ea sententia de Græcis quidem Gregorius Nazianzenus , Theodo-
retus , Joannes Damascenus , Theodorus Abucara , & Oecu-
menius ; de Latinis vero Tertullianus , Hilarius , Vigilius , Fulgentius , Paulinus , præterque alios , Bernardus . Atque Hilarii quidem doctrinam clarissimo in lumine Maurinius editor collocavit (a) . Theodoretus (b) , Theodorus Abucara (c) , & Oecumenius (d) a Lectoribus adeantur , velim . At Vigilius Tapensis cap. 14. ejus libri , qui adversus Felicianum , Ari-
num hominem , inscribitur , quemque a Petavio (e) Augustino attributum , editores Maurini in Appendicem rejectum , restituue-
runt auctori suo Vigilio , idem ipse , inquam , Vigilius e re no-
stra sic loquitur . Dei Filius sic in sepulcro carnem suam commo-
tienda non deseruit , sicut in utero Virginis connascendo formavit .
Copiolius , atque distinctius Fulgentius non solum in respon-
sione ad questionem primam Ferrandi , sed etiam in tertio ad
Trasimundum Regem cap. 16. Ab ipso namque conceptionis virginis
exordio sic in Christo personalis unitas manxit , ut utriusque
naturæ inconfusa veritas perduravit : ut nec homo a Deo divelli-
nec Deus a suscepito posset hominæ separari , & licet in Christi
morte carnem moriens in suis anima deserta , divinitas ta-
men Christi nec ab anima , nec a carne posset separari suscepito .
Quid Joannes Damascenus ? Eruditus vir optimus totum hunc
locum tractavit : sed specimen dabimus , disputationem omnem
Lectorum estimandam ingenio permissari . Et si mortuus est , tan-
quam homo , & sancta illius anima ab illibato divisa est , at divinitas
ab utroque minime separata remansit , anima videlicet , & corpore .
At ne sic quidem una hypothesis in duas est hypothesis divisa . Nam
& corpus , & anima simul a principio in hypostasis Verbi existantiam
habue-

(a) In Pref. §.4. (b) Lib. 5. hæret. Fabul. cap. 15. (c) Opusc. 32.

(d) In cap. a. epist. ad Colos. (e) Loc. cit. num. 7.

babuerunt, & in morte a se mutuo distracta ipsorum singula manferunt, unam Verbi hypostasim habentia. Itaque una hypostasis Verbi fuit Verbi, & animae, & corporis hypostasis (a). Brevis Bernardus, sed tamen luculenter. Quid divinitate potius? Inde est, quod nec morte incidente ulla tenus intercedi habeat unitas potuit, et si carne, & anima ab invicem separatis (b).

27. Sed multo latius pater Paulini Aquileiensis argumentatio, ex qua magnam videoas probatissimum testium copiam nobis suppetere, ab ultima etiam antiquitatis memoria. Ideo enim, Paulino auctore, *Christus Jesus & passus, & mortuus, & sepultus, & resurrexisse secundum scripturas Dei Filius veraciter declaratur, quia a carne nunquam post assumptionis Sacramentum impassibilis, & indemnabilis separata divinitas predicitur (c). Hinc autem necessario efficitur, quotquot veteres Christum, aut Dei Filium mortuum, ac sepultum esse dixerunt, eosdem etiam a corpore mortuo non secessisse divinitatem affirmasse. Christum vero, seu Dei Filium fuisse mortuum, sepultaque mandatum, quis ex tota antiquitate non credidit, quis crebris non usurpavit sermonibus? Id fidei symbola, id generalia quæque Concilia, id Græci, Latinique Patres summo omnibus consenserunt passim profiterunt, ac prædicant. Ut ecce Tertullianus, Marcionem impugnans, crucifixus est, inquit (d), *Dei Filius: non pudet, quia pudendum est: & mortuus est Dei Filius: prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile est*. Cum ergo Dei Fi-*

D 2 lius,

(a) Lib. 1. cap. 27. (b) De consider. lib. 5. cap. 9.

(c) Lib. 1. cont. Felicem. (d) Cap. 5.

4. Favet Tertullianus Ecclesiæ, refragatur Hæreticis.

Hæc igitur cum fini, non docuit Tertullianus, divinitatem mortis tempore migrare de corpore. Tertullianum tamen in sensisse, affirms Tourneyrus (loc. cit.), Hilarii editor dubitat (ut supra ad §. 13.), moti his verbis in extremo libro contra Præcam: *deinde spiritum soum posuit, & statim obiit. Spiritu enim manente in carne, caro omnino mori non potest*. Satis enim non liquet, utrum spiritus nomine animam, an ciuius divinitatem, ut alias solit, intelligat. Sed ut animam intelligamus, non solom facit locutus, quem atuli, sed etiam ejusdem libri initium aduersus Præcam, unde Tertulliano exhibetur molestia. Nam tradit in 2. capite, *hunc Filium Dei passum, hunc mortuum, & sepultum secundum scripturas nos credere. Quibus verbis iterum docet, nos credere, utriusque naturæ conjunctionem, etiam triduo mortis, scilicet eodem, quo ab initio cooperat, statu*. Est igitur Tertullianus ab Ecclesiæ.

Posui vero, cum Hæreticis refragari: non quod, si qui olim fortasse ab hac doctrina desciverunt, continuo Hæreticos censem (contraria enim op-



lius, ut Paulinus docet, idcirco mortuus, ac sepultus dicitur, quia a corpore nunquam separata est, nec recessit divinitas, sequitur, Paulinum non solum, sed totam Patrum antiquitatem in hanc ipsam, quam suscipit, & probat Ecclesia, sententiam conspirasse. Atque hinc tritum illud vetustate proverbum, quod in ore versatur omnium, manavit, *quod semel Verbum assumpit, nunguam dimisit.*

28. Potest autem quidquam patienter ferri, quod sit huic talium virorum choro contrarium? Merito igitur Amantis, hominis de Servorum Mariæ Familia, Episcopique Sebennicensis Theologi, vituperata opinio est in Tridentinis Comitiis. Is de Communione sub utraque specie disputans imprudens dixerat, in Christi morte sejunctum fuisse, abjectumque corpus a Deo; sed statim exerto inter Patres strepitu, improbata ejus opinionis, & comprelsa levitas fuit, suam videlicet Patribus ipso strepitu, & clamore significantibus voluntatem. Narrat hæc Suavis, & post Suavem Cardinalis Pallavicinus historię sua lib. 17. cap. 6. n. 6. Neque ægre cum Pallavicino consentit Petrus Franciscus le Courayer (a) (qui recens Suavis, vel Pauli Sarpii opus a se gallice redditum multis notis, seu potius erroribus cumulavit), etsi Pallavicinus ipsum temerario sane, atque audaci consilio refellendum suscepit. Admonet autem Cardinalis amplissimus, nullum in Acta Concilii Amantis errorem relatum esse, ea fortasse de caussa, quod statim, ut credibile est, se revocavit, mutavitque sententiam.

29. Multo ergo magis post hæc reprimendi conatus tum Fides b, tum Thomae Stackocuse c, Anglorum nostra memoria scriptorum, quorum ille divinitatem a corpore toto mortis tri-

duo

gio visa est olim Epiphanius (Hær. 59. num. 62. & Hær. 20. num. 2.), viro sanctissimo, & religiosissimo, placuisse: sed posui, Tertullianum obfistere Hæreticos, ideo quod ex horum numero olim fuisse accepimus, qui longe alter stacuerent. Exitimabant enim nonnulli, vel potius somniabant, divinitatem, quasi imbecillam, & trepidam ad contemnendam mortem, a Christo passuro discelsisse, ne mortem ipsam, & cruciatum perferre: quorum curavit infaniam Gregorius Nazianzenus orat. 36. num. 20. Neque enim, ait, quod quidam opinabantur, ipse vel a Patre, vel a sua divinitate, quasi passionem extimescente, ob idque se se a perpetiente, colligente, atque contrabente, derelictus est. Quod si ex nostris Epiphanius, & minuti quidam scriptores reliquum a divinitate Christum putarunt, hoc illis erratum facile condonabimus; timorem vero, ne hinc forte traditionis vis, atque autoritas enervetur, omnem plane oinistemus.

(a) Tom. 2. num. 31. (b) Theol. Vol. 5. (c) Theolog. Specul., & Prat. Tom. 4. scđ. 4. Lauganne 1760.

duo sejunctam confidentissime statuit , alter , expositis Fiddes , & Pearsonii , qui est a Latinis , opinionibus , rem in medio reliquit . Sed nihil erat , cur assensum cohiberet , quando Fides ratiunculae non solum totius antiquitatis testimoniis , sed gravissimarum etiam rationum momentis persicile in nihilum rediguntur . Nosce autem Stackousius debnit , quod a Cicerone præclare traditum omnes sciunt , oportere videlicet , ut lamen in libra , ponderibus impositis , deprimi , sic anima perspicuis cedere . Ac rationem quidem satis firmam , & gravem ex communicatione , ut loquimur , idiomatum proferemus , illam nimur ipsam , quam Paulinus adhibuit (§. 27.) , nosque paullo ante etiam , atque etiam premebamus (§. 23.) ad excusandum Leporium . Nam quæ naturæ humanæ propria , & sua sunt , & perpetua , rectissime ea tribuuntur Dei Filio propter hujus cum illa conjunctionem . Nunc autem Dei Filium jam inde a pueritia professi sumus , & diximus , mortuum , ac sepultum fuisse , tunc videlicet , cum Apostolicam memoriter formulam recitantes dicemus , Dei Filium conceptum esse , & natum ex virgine , & mortuum , & sepultum . Ex quo enim capimus dicere , credere nos in Jesum Christum , Filium ejus unicum , Dominum nostrum , quidquid aliud de illo dicimus , non subauditur , nisi Jesus Christus , Filius Dei unicus Dominus noster (a) ; quæ virtus , ac sapientissima est Augustini animadversio , nullius , qua illustretur , eloquentiam desiderans . Itaque si Filium Dei mortuum , atque in sepulchro conditum profitemur , ac credimus , illud etiam , quod ei doctrinæ conscientaneum est , præsteri oportet , ac credere , eundem Dei Filium triduo mortis conjunctum , ut antea , cum suo corpore , & copulatum fuisse .

30. Ut enim secundo loco argumentatur Athanasius , corpus Christi sanctissimum corruptionem ex vetere oraculo in sepulchro non vidit . Ne autem videret , quæ alia , inquit , fecit res , nisi quæ in ipso inerat , atque in perpetuum insidebat divinitas (b) ? Jam nobilitata tertia ratio est Gregorii Nysseni ingenio , ex cuius sententiâ B. Thomis sic disputat . Quod homini Dei beneficio , & munere permanenter conceditur , id nunquam sine illius peccato revocatur , nec tollitur . Teste enim Paulo in epistola ad Romanos , sine paenitentia sunt dona , *voca-*

(a) Serm. 214. edit. Maur.

(b) De salut. adv. J. Chr. Vid. & Damaf.

lib. 3. de fide Orthod., cap. 27.

vocationis Dei (a). Sic adoptionis donum, quo filii Dei nominantur, & sumus, nunquam amittitur, nisi nostro scelere, & vitio. Nullum autem in Christo singi peccatum potest; fieri igitur nequit, ut conjunctio divinitatis cum corpore in illius obitu solveretur: idque eo magis, quod, ut pergit scribere idem Thomas, *major est gratia unionis, per quam divinitas unita est carni Christi in persona, quam gratia adoptionis, per quam alii sanctificantur, & est magis permanent ex sui ratione, quia haec gratia ordinatur ad unionem personalem, gratia autem adoptionis ad quandam unionem affectualem* (b).

32. Quas vero captiunculas induxit in medium Fiddes, ut Ecclesie doctrinam, atque auctoritatem abiiceret, eas non ipse solum B. Thomas, sed antiquissimi Patres multis ante seculis, idque facillime, explicaverant, multa propterea ut causae sint, cur hominem temeritatis sua peniteat. Si sumatur, ait Anglus cavillator, divinitatem indissolubili vinculo conjunctam fuisse cum corpore, arctius cum illo conjuncta fuisset, quod attinet ad vitæ munia, quam hominis cujusque animus cum suo corpore. Propterea si animi cum corpore conjunctio impedit, ne corpus moriatur, multo minus mori Christi corpus potuisset, atque adeo in sepulchrum inferri. Sed jam disputationem istam totam refellimus, cum alias res ageremus, idest, cum Leporium tuebamur. Vidimus enim, Petri Lombardi, & Hugonis Victorini sententia (§.20.), quæ veterum, & in his Leonis (§.21.), auctoritatibus nititur, idcirco mortuum esse Christum, quia potentiam divinitas suam cohibuit sic, ut omnino cessare, & quiescere videretur. Si enim defensionem corporis ia

(a) Ad Rom. cap.ii. ver. 29. (b) Par.3. quest. 50. art. 2. in corp.
5. Dei dona duplicita.

Dei dona ad duo genera revocantur. Primum genus, idque nobilius, eorum, quæ permanentia, alterum corum, quæ transiunta dicimus. Hæc a Deo omni loco, & tempore adimi possunt hominibus, culpa etiam vacantibus. Nihil enim necesse est, cur in perpetuum maneant. Sunt autem ex hoc genere vis prophética, miracula, instinctus, afflatusque divinus, & alia, cognitione praefertim, quæ Joanni Baptista materno in utero concessa est singulari, & inaudito prodigio. Dona vero alterius generis perpetua sunt, nec unquam hominibus, nisi ipsorum vitio, & peccatis a Deo admittuntur. In quam rem legi potest, si placet, dissertatio illa nostra, quæ est de cognitione S. Joh. Baptiste in matri utero exultantis §.30. Argumenti igitur, quo usus sum, propofitio de donis permanentibus intelligi debet, quod addita voce permanenter fatis ego equidem significatum putavi. Est autem ejusmodi adoptio, quam diximus, & mulio magis humanæ nature penitissima cum divinitate conjunctio, ut ex Thoma Aquinate cognovimus.

in se recepisset, mors certe sanctissimum corpus non potuisse attingere. Quo modo ei argumento cumularissime satisfactum putamus. Sed & B. Thomas respondet, longe aliter hominis animum, atque divinitatem vitam efficere, vel tribuere. Nam animus vitam afferit, vel tribuit (ex Peripateticorum, qui tunc regnabant, opinionibus loquitur), quia corporis, cui conjungitur, forma est. Quare necesse est, corpus, quamdiu in ipso animus fuerit, vivere. Nam haec est natura propria formae, atque vis, ut rei, quam informat, vitam necessario impertiat. At divinitas forma corporis nec esse, nec dici potest, propterea que et si vitam afferre possit, vel tribuere, quia vita efficienda, vel tribuenda vim habet, eam tamen necessitate naturae non efficit, nec impertit, sed libera efficit voluntate. Hinc et si nixa, copulataque intime esse cum corpore, necesse nullo modo fuit, ut corpus in vita maueret, quia Deus libere agit, non necessarie.

Sed ut ob oculos ponam, Angulum hominem vetera recognisse, id est, mutatis dumtaxat vocabulis, idem obrusisse argumentum, quod libi ipse B. Thomas objecerat, subiiciam totum locum. Argumentum hoc modo concluditur. *Major est virtus vivificativa Dei, quam anima: sed corpus mori non poterat, nisi anima separata, ergo multo minus mori poterat, nisi separata divinitate.* Cui occurrit his verbis. *Ad tertium dicendum, quod anima habet vim vivificanti formaliter, & ideo, ea presente, & unita formaliter, necesse est, corpus esse vivum.* Divinitas autem non habet vim vivificanti formaliter, sed efficiens: non enim potest esse corporis forma, & ideo non est necesse, quod, manente unione divinitatis ad carnem, caro sit viva, quia Deus non ex necessitate agit, sed ex voluntate. Ibid.

32. Quid autem, si recentiores sequamur Philosophos, quorum neque Fiddes ignorare doctrinam, neque auctoritatem negligere debuit? Hi animum esse quidem hominis formam concedunt, at corporis, negant. Quare & illud negant, quod Fiddes assumperat, conjunctionem animi cum corpore impedire, ne corpus ipsum moriatur. Neque enim vita extinguitur, & motus corporis, quod animus discesserit, sed potius discedit animus, egrediturque de corpore, quod, labefactatis partibus, vita corporis extinguatur, omnisque motio vitalis tollatur; quare animus suo functus munere confessim ad Deum reddit, eo scilicet, unde ad hominem venerat. Itaque et si divi-

nitas arctissimo; ut antea, societatis vinculo cum corpore teneretur, corpus tamen adhuc vivere non oportuit. Sed sanctissima divini Filii anima abiit, & excessit, quia vita corporis extincta jam fuerat, atque omnis vita aeterno sublata. Quo magis subirascor Stackousio, qui, explicata Fiddes, Pearsonii, que sententia, voila, inquit, *les raisonnemens de ces deux partis*, & il n'est pas faciles de determiner, le quel de ces deux sentiments approche le plus de la verite. Sunt enim verba hominis de re perspicua, rationeque non solum, sed tam multis evicta testibus, ineptissime dubitantis. Dubitari autem non posse, ultra agnoscere, bonaque fide testatus est, homo & ipse Heterodoxus, Joannes Franciscus Buddaeus (*a*), qui mihi idcirco videtur candorem prae se quandam, & ingenuitatem ferre.

33. Nam quod Christus morti proximus miserabiliter clamauerit, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti (*b*)?, multiplices habet, facileisque iudicio meo explicatus. Ac primum, quam ei loco Capreolus explanationem adhibendam existimet, supra attigimus (*§.16.*), & uberior ex ipsius epistola cognoscere poteris. Leoni Magno vox ista doctrina est, non querela. Neque enim dolet Christus, vel queritur, se derelictum a Deo, sed pro nobis trepidis, & infirmis interrogat, cur earo pati metuentes exaudita non fuerit (*c*). Nocte enim superiore rogaverat Patrem, ut iuberet, amarissimum passionis calicem a se transire. Opiacione Serry (*d*), Christi verba significant, ipsum, appropinquante jam morte, omni penitus gaudio, atque solatio desitutum fuisse. Nam Christus ex notissima Melchioris Cani sententia, quam ille a Theologorum obtricationibus vindicare instituerat, continuit, atque ulro repressit gaudium, & voluptatem, quæ ex Dei visione, & presentia necessario manabat. Scio equidem, velle Harduinum (*e*), qui istam Cani opinionem defendunt, eos (etsi neminem aperte nominaret) Calvinio imprudenter favere. Verum conceptis verbis professus jam Canus fuerat, atque adeo cum Cano suo Hiacynthus Serry, Christum, ut ceteros martyres, gaudium sibi futurum ante oculos posuisse, ut crucem sustineret, confusione contempta (*f*). Quod Pauli testimonium frustra Harduinus excrisperat, Canum ut convinceret.

34. Sed

(*a*) Ut infra ad §.38. (*b*) Matth. cap.27. ver.46. (*c*) Serm.57. de Psal.16. cap.7. edit. Baller. (*d*) Vind. in Melch. Can. cap.8. (*e*) In hac loc. (*f*) De Loe, lib.12. cap.13. prope fin.

34. Sed ut ex his laqueis jam nos demum extricemus (a), derelictum a Patre se Christus clamat, sive a Deo, non quod divinitas ullo modo secesserit, sed quod nullum Deus prodigium toto passionis tempore edidit, quo ipsius innocentiam comprobaret, nec eum ab inimicorum furore, & crudelitate protexit. Derelinquere igitur tantundem valet, ac nolle adjuvare, auxiliumque subducere. Quæ verbi interpretatio cum perplacet Patribus, tum divinis est litteris mitifice confeneanea. Hoc modo Leporius, & qui Leporii approbarunt epistolam, relictum corpus a divinitate fuisse affirmarunt (§.20. 24., & 10.). Nunc Leonis verba audiemus, qui totum hunc locum copiose duobus sermonibus, & eleganter tractavit. Ideo enim iudicio ejus Pontificis Jesus voce magna clamabat, dicens, quare me dereliquisti? ut notum omnibus faceret, quam oportuerit eum non erui, non defendi, sed savientium manibus derelinqui, hoc est salvatorem Mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem (b)*. Atque id sapientissimus Pontifex ex divinis, opinor, libris didicerat, ubi sapient illa vox, vel potius tertio quoque fere versu auxillii, atque opis amotionem sonat. Sic psal. 9. ver. 11. sperent in te, qui noverunt nomen suum, quoniam non dereliquerit quarentes te, Domine. Psal. 26. ver. 9. Adiutor meus es, ne derelinquas me, neque despicias me. Similiter psal. 77.

E

ver.

(a) Vid. & Eflum in cap. 27. Math. (b) Serm. 68. de Pass. 17. cap. 2.

6. Tertulliani testimonium haec tenus non productum.

Sed temperate hoc loco me nequeo, quin etiam Tertulliani interpretationem subiiciam. Digna est enim, quæ in lucem predeat, præsertim cum haec tenus in illius operibus, quod sciam, lateruit. Præxam igitur, qui blaterabat, Deum Parem, & qua Deum, fuisse passum, ipsis moribundi Filii verbis sic ad extremum aggreditur. *Habes ipsum exclamantem in passione, Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Ergo aut filius patiebatur a patre derelictus, & pater passus non est, qui filium dereliquit; aut si pater erat, qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat? Sed hec vox carnis, & anima, id est hominis... propterea emissa est, ut impossibilem Deum offendere, qui sic filium dereliquit, dum hominem tuus tradidit in mortem. Hoc & Apostolus sensit scribens, si pater filio non pepercit. Hoc & Esaias prior pronuntiavit, & Dominus cum tradidit pro delictis nostris. Sic reliquit, dum non parcit, sic reliquit, dum tradidit. Ceterum non reliquit pater filium, in suis manibus filius spiritum suum posuit. Denique posuit, animam scilicet, ut interpretari fumus (not.4.). & statim obiit. Spiritus enim manente in carne, caro omnino mori non potest. Ita reliquit a Patre, mori fuit filio. Habes Tertullianum, id est concium, acre, & vehemens dicendi genus. Sed habes, quod magis interest, Patrem, Tertulliano interprete, dereliquerit filium, quia hostibus tradidit ad supplicium, non adjuvit.

ver. item 9. cum defeccerit virtus mea , ne derelinquas me , neque despicias me . Quia dixerunt inimici mei mibi , Deus dereliquit eum , persequimini , & comprehendite eum , quia non est , quib[us] eripiat . Ibidem denique , ne plura persequar , ver. 18. , & usque in senectam , & senium , Deus , ne derelinquas me , donec annuntiem brachium tuum . Quibus ex locis intelligi iterum potest , quo sum Leporius spectaret , cum scripsit , unigenam Dei Filium suscepimus a se corpus reliquissime . In eandem enim sententiam , in quam moribundi Christi verba , superiorum illam Leporii orationem interpretari debemus .



COROLLARIUM.

BEncigitur habet. Firmis, & que cogere animos poterunt, argumentis docuimus , admirabilem divini Verbi conjunctionem cum corpore ne dirimi quidem mortis vi , neque rescindi potuisse . Est autem Verbum , quod norunt vel pueri , Dei Filius ; Dei ergo Filius Christus fuit etiam triduo mortis . Ac sane in symbolo , quod ab ineunte aetate memorie mandavimus , eum Christum fuisse mortuum , atque in sepulchro conditum profitemur , quem dicimus , conceptum esse , & natum de virgine . Oportet enim hoc maxime loco revocare in memoriam auream illam Augustini sententiam , quam in medio paullo ante posuimus , videlicet , *ex quo cepimus dicere, credere nos in Iesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum, quidquid aliud de illo dicimus, non subauditur, nisi Iesus Christus, Filius Dei unicus Dominus noster* . Porro qui Christus conceptus est , natusque de virgine , idem & Dei Filius recte , ac proprie & appellatur , & est : qui ergo mortuus , ac sepultus est Christus , eum fuisse oportuit Dei , ut semper antea , Filium . Id autem , ut supra commemoravimus (§ 27.), reliqua omnia fidei symbola , id generalia quaque Concilia , id Graeci , Latinique Patres summo omnes consensu passim asseverant , ac praedican . In hoc ipso opusculo Christum mortuum maximis litteris Dei Filium vocant Leporius (§ . 9.), atque adeo omnes , qui Leporii litteras suis scatentiis ornarunt (§ . 10.), Tertullianus

pre-

præterea, & Aquileiensis Paulinus (§. 27.), illi etiam, qui Servatoris, Deique nostri vel solum corpus in sepulchro repositum, vel solum animam digressam ad Inferos Christum, seu Dominum appellarunt; quod fecit Gregorius Nyssenus (§. 17. II.), fecit Augustinus (§. 18.), fecit Ferrandus, Alcuinus, Joannes Damascenus (§. 23.), ac denique Patres cæteri, quorum testimonia in tertia hujus disputationis parte vel designavimus, vel exscriptimus. Tantundem enim valet Christum dicere, quantum dicere Filium Dei.

36. Possum igitur omnia in hanc fere argumentationem concludere. Jesus Christus triduo mortis descendit ad Inferos, itemque exanimis jacuit in sepulchro. Quæ duo constant fide divina inter omnes non doctos solum, sed etiam indoctos. Est autem Christus Dei Filius; triduo igitur mortis, quo ad Inferos abiit, & in sepulchro depositus fuit, Dei Filius fuit: atque adeo vocibus non abutimur, cum mortuo Christo, non fecus, ac vivo, nomen Filii Dei tribuimus.

S C H O L I U M .

37. **A**N Christus, obita morte, vere, proprieque vocari fuisse; negasse id autem Lutkemannum, affirmasse vero illius oppugnatum, atque adversarium, Dannhaverum (*a*). Sed illi quæstionem moverunt non necessariam. More enim suo, pulchre scilicet, atque facillime, jampridem totum hunc locum Thomas Aquinas tractaverat, bonis argumentis efficiens, Christum triduo mortis hominem non fuisse. Alter senserant, scriptores fere ejusdem temporis, Hugo Victorinus, & Petrus Lombardus, Theologi cæteroquin probabiles; Hugo quidem arguendo illo adductus, quod homo, si proprie loqui velimus, solus sit animus, Lombardus vero eam securus rationem, quod Christi anima, & corpus, et si a se mutuo distracta, eodem tam, quo antea, cum divinitate vinculo cohærent. Sed & utriusque sententiam idem Thomas refellerat (*b*), & plenius longo post tempore, copiosiusque Petavius (*c*), quos adire te jubeo.

38. Christum igitur illo triduo hominem non fuisse, assentimur

(a) Instit. Theol. Dogm. lib. 4. cap. 2. §. 22. in not.
quæst. 10. art. 4. in corp.

(b) Par. 3.

(c) Loc. cit. cap. 20.